

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY
VIA VERITAS VITA



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPHOBIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPHOBIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DAWSON,

Ex Insula Jamaica,

CHIRURGUS

SOC. REG. MED. SOCIET. EDIN.

Sit mihi fas audita loqui.

VIRGIL.

Die VIII. ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

1813.

VIRO REVERENDO

RICARDO LEWIS DE HONITON,

HOCCE OPUSCULUM

DEDICAT

AUCTOR.

Si quid aut famæ aut laudis nunc vel unquam attingam, tibi præ omnibus Magister care! gratias agam; quoniam jucundè reminiscor, te semper me adhùc parvulum literis humanioribus, sed præcipuè virtute, imbuere anxìe conatum fuisse. Optimo igitur jure primitiæ studii curæque tuæ tibi consecrantur, quas accipe, quæso, sincerum, quamvis indignum, pignus animi in æternum grati.—Vale.

PRÆCEPTOREM ET AMICUM SUUM,

JOANNEM THOMSON, M.D. F.R.S.E.

ARTIS CHIRURGICÆ PROFESSOREM

(A COLLEGIO REGALI CHIRURGORUM EDINENSI NOMINATUM,)

NECNON

IN ACADEMIA,

REGIUM PROFESSOREM CHIRURGIÆ MILITARIS,

HANC DISPUTATIONEM,

TESTIMONIUM, UTCUNQUE INDIGNUM,

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

ACCIPERE SUPPLICAT

AUCTOR.

To Professor Thomson
from his Pupil the Author

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPHOBIA.

AUCTORE GULIELMO DAWSON.

Hydrophobia, de quâ sum scripturus, est non certè inter mala, quibus laborat genus humanum, frequentissimum; ac jure hominibus licet sibimet gratulari, et simul Deo grates agere, quod sibi non sæpiùs hôc malo affligi contingat. Etsi tamèn haud inter creberrima procul dubio inter gravissima, vel etiam est omnium dirissimum, quibus obnoxii sunt mortales.

Ægri hôc morbo laborantis est status admodùm miserandus, nec (quod et ægri et ejus

amicorum miseriam plurimùm auget) adhuc potuit ars medica de ullo remedio, ad hunc morbum sanandum adhibito, prædicare ægro miserando profuturum sit necne. Qui igitur hoc tam diro morbo tentati sunt, jam-jam ultra medicinæ rationem morti (ac ne quidèm morti solùm, sed morti omnium ferè maxime horrendæ) deditos fuisse, non iniquè judicandos, docet multorum seculorum experientia non parùm deflenda.

Definitio Culleni est, " Potionis cujuslibet, utpote convulsionem pharyngis dolentem cientis, fastidium et horror; plerumque e morsu animalis rabidi." Species duas adjungit, hyprophobiam nempe rabiosam et simplicem. Hæc potiùs symptomatica habetur, dum illa est morbus idiopathicus, de quo solo meum est disserere.

CAUSÆ.

UNICA mihi videtur remota causa virus quoddam esse in rabidi Animalis salivâ: quod morsu corpori infigitur. Medici tamen sunt nonnulli, qui rabiem sponte vel saltem aliis causis oriri affirmant.

Intenso calore hic morbus induci putatur; sub cœlo tamen torrido non sæpiùs quàm sub temperato grassari videtur. In quibusdam oris Americæ Australis penitùs ignoratur:[1] et Mosely[2] narrat se haud unquam in Insulâ Ja-

[1] Mease on Hydrophobia.
[2] Mosely on Diseases of Tropical Climates.

maica testatum esse hydrophobiam, nec ab ullo eandem visam fuisse ibi per annos quinquaginta ante M,DCC,LXXXIII.

Nonnunquam causam longè diversam, frigus nempe extremum, agnoscere dicitur. Hyeme annorum M,DCC,LXXIX-LXXX, Canes plurimi hoc morbo perierunt.[1] Ætius rabiem tradit propriam regionibus, in quibus hyemis frigora et æstatis ardores justo intensiora sunt. Et a Moseley putatur pendere a dotibus tempestati propriis. Aliæ etiam enumerantur causæ, defectus nimirum aquæ, cibus putrescens, &c. De his omnibus disserere hanc tractationem longiùs justo extenderet: et foret inutile, libri enim, qui argumenta continent, sunt in manibus ferè cujusvis.

Ab causis jam memoratis canes laborare di-

---

[1] Mease on Hydrophobia.

cuntur sæpiùs quàm homines; quæ omnes infirmando nocere videntur: canes enim aggrediuntur signa eadem, quæ homines hâc peste torqueri denunciant. Apud genus humanum hic morbus aliquando tribuitur inediæ labori et vigiliæ,[1] quæ etiam eâdem ratione eum inferunt, scilicèt vires conterendo.

Priusquam de effectibus hydrophobiæ in genus humanum disseram, pauca de ejus indiciis in Canibus præfanda videntur.

Canis, ex quo Rabie primùm afficitur, mœstus evadit, aquam horret, et rarò latrat; vel si fortè latratum emittat, vox raucedine quâdam vitiatur. Setas in dorso erectas, caudamque intortam gerit.[2] Dicitur etiam cibum fas-

---

[1] Bardsley's Reports.

[2] James on Canine Madness.

tidire; neque verò hoc perpetuum est; hujusce enim mali exemplum memorat Hamilton,[1] in quo Canis inter edendum hominem momorderat. Imò aquæ horrorem ipsum non constans habemus indicium; quoniam idem Hamilton duos canes paulò ante mortem lambere aquam conspexit. Indicia certiora videntur Hebetudo et Inflammatio Oculorum, præsertìm quum canes sani vitiatum fugitant. Necnon affirmatur glebam carnis dentibus affecti tactam, utcunqùe alioquin gratam, a cane integro certe rejectum iri.[2] Canis aliquantò post morbi incursum furens evadit, linguâ eminente et ore spumante vagatur, morsu, cuicunque occurrit, afficere conatur. Demùm languescens et dolore jam-jam fatigatus concidit, nec multo pòst, spiritum efflat extremum.

---

[1] Hamilton on Hydrophobia.
[2] Academie des Sciences, 1723.

Talis est morbus, qui canem, anteà socium fidelem, hostem hominibus gravissimum facit. Morsus enim, quem hoc morbo laborans magistro nîl mali suspicanti infligit, originem præbet calamitati admodum horrendæ, de quâ nunc amplius disserendum est.

Magnoperè inter medicos haud parum peritos certatum fuit, rabies ab aliis animalibus præter canes cum hominibus communicari possit, necne. Species generis *Canis* tres, canem nempe Vulpem et Lupum, mordendo, hominem rabie afficere satis compertum est. Morgagnius[1] porro aliique auctores putant, felem quoque hanc impertire pestem ; multaque narrantur exempla signorum hydrophobiæ solitorum, homines post morsum felis invadentium. Non satis constat morsum aliorum animalium ad rabiem inducendam valere.

---

[1] De Causis et Sedibus Morborum.

Vulnus morsu canis inflictum nîl sibi proprium exhibet, sed vix aut ne vix quidem facie ab aliis plagis dilacerando illatis distat: nec ægrè sanescit.

De Natura Viri nihil habemus certi, nec meum est opiniones de hâc re varias enumerare.

De Modo, quo Virus propositam rabiem molitur, auctores ferè omnes inter se valdè dissentiunt. Alii idem nervos proprìe afficere contendunt, dum alii existimant vasa lymphatica virus absorbere. Utrique sententiam suam, Hydrophobiâ et aliis morbis istiusmodi invicem collatis, confirmare nituntur. Hanc similitudinem verbis perpaucis haud alienum erit monstrare.

Quàm prope Hydrophobia ad Tetanum accedat, multa probè edocent: eadem enim in faucibus affectio utrique est; sentiendi facultas ubique corporis utrique acuitur; dolor idem umbilici, et musculorum abdominis rigor; instrumentorum urinæ eadem affectio; et post mortem cadaver ad putredinem paritèr proclive: necnon rabies aliis nervorum morbis consimilis est: partium corporis paralysis, oculorum affectus, et cæcitas, hunc morbum haud rarò comitantes, cum similitudine jam notatâ, ne dubium quidem ullum viri in nervos agentis sinere a quibusdam putantur.[1] Hanc opinionem verbis sequentibus refutat Hamilton: "But is this a proof of want of absorption? All that can be inferred is, that the peculiarity of the disease brings these affections along with it as constant attendants. Will it be denied that such symptoms can be produced by an absorbed virus?"

---

[1] Mease.

Nunc de absorptione agemus. Tam arctus interest nexus inter hujus morbi signa, illaque Variolæ et Syphilidis, ut si quid ex hujusmodi similitudine diducere liceat, (horum absorptione venenorum concessâ) jure statuimus esse absorptum quoque Virus Caninum. Integer utriusque morbi circuitus hanc similitudinem clare denunciat. Notæ enim hujus morbi propriæ inflammatione secundâ partis morsæ nituntur;[1] quæ die circiter quadrigesimo ex illato vulnere accedere solet; ante quod tempus venenum iners est, nec eum ultra locum serpit, cui initio admotum fuerat; et quodam tempore opus esse videtur quasi ad maturandum, antequam ad rabiem gignendam valeat; quod profectò Variolæ quoque contingit: si enim pars Variolæ viro inquinata paucis post diebus excidatur, cutis variolâ nunquam efflorescit. Nec desunt rationes, unde nullum omnino virus absorberi quibusdam videtur; quæ tamen adhuc ma-

---

[1] Parry's Dissertatio Inauguralis de Hydrophobiâ.—*Edin.*

gis, ut opinor, analogiam confirmant inter horum morborum propria indicia. Hæ rationes sunt; si virus corpori vasa absorbentia tradissent, proximas glandulas lymphaticas tumefieri et vitiari oporteret; porro arteriæ affici et inflammatio induci deberent; per hydrargyrum morbum compescere expectaremus; rabiem sese die post morbum certo ostendere necesse foret. Qui autem hos morbos testari solet, Variolam et Syphilidem rariùs phænomena hujusmodi ostendere optimè novit. Variolam et Syphilidem sine ullo tumore et sine inflammatione pulsu arteriarum distinguendâ sæpè videmus; Rabiem pulsus fortis et plenus etiam haud rarò comitantur; Hydrargyrus nihilo potius in Variolam quam in rabiem valet. Quinetiam deest certa lex tempori, quo Variola, at potissimùm quo morbus Veneris post illatum contagium adoriri soleat; nimirùm seriùs aut maturiùs nascuntur pro corporis naturâ, ætate, et quæ sunt similia.

Partes corporis universæ innumeris vasis absorbendo accommodatis instruuntur; quæ vasa *Lymphatica* ubique, intestino excepto, nominantur; ibi autem *Lactea*. Hæc vasa, quicquid adsit humoris sive nutrimenti sive veneni, inhalant: quo pacto igitur huic viro absorptio negatur?[1] Sed actio horum vasorum variis rebus scilicet corporis statu indole, atque naturâ ipsius viri nititur. Pro statu corporis virus caninum modo favetur modo obstatur. Vis nimirum corporis aucta ut in maniacis qui maximas causas debilitantes sine injuria subeunt, et affectus animi incitatiores, qui metum et debilitatem dimittunt ac potestatem musculorum augent, contagioni et miasmati fortiter obnituntur; ex altera parte

[1] Quædam sine dubio sunt venena, quæ hominem necant, antequam temporis ad virus absorbendum satis elapsum fuit.

causæ debilitatrices, ut eadem multò faciliùs corpus subeat, efficiunt. Debilitas igitur contagioni admodùm favet; illius enim aggressui robusti multo magìs quàm morboque curâque debilitati renituntur.[1]

Hæc imbecillitas frigore vel calore intenso; at sæpius in hâc valetudine motibus animi sedaturis augetur.

---

[1] Mease.

DE SPATIO INTER MORSUM ILLATUM ET HYDROPHOBIÆ AGGRESSUM.

VENENA sunt alia, quæ variis intervallis absorbentur; et temporis spatium quod inter venena insita et absorptionem intervenit, multùm variat, prout res suprà memoratæ plus aut minus invicem discrepent. Virus enim variolæ, etsi in plurimis exemplis dies novem postulat, priusqùam hominem planè infecerit, modò vel die septimo, modò die non nisi decimo quarto sese absorptum exhibet. Rabies porro, quod Hamilton satis comprobavit, sæpius ultra trigesimum et citra sexagesimum sese prodit; aliquando tamen notæ hydropho-

biæ horrendæ multò citiùs adoriuntur. Multi auctores morbum, de quo agitur, mense post morsum inflictum nono-decimo jam-jam elapso nunquam accedere opinantur. Quæ sententia profectò morsu laborantes consolabitur ; sitne autem vero consentanea, multùm dubito. Nemo denegabit Syphilidis Virus corpori vel plures annos innocuum nonnunquam inhæsisse. Cur non igitur concedamus venenum, per quod excitatur Rabies, simili modo posse diutiùs in corpore latitare ? Rite tamen infelix morsu afflictus, hôc tempore elapso, securiorem se habebit ; pauca enim extant exempla hydrophobiæ, tanto temporis spatio interjecto: talia autem extiterunt, ac ex his quamquam perpaucis plana sequitur non optanda conclusio, neminem, qui unquam animalis rabidi morsum perpessus sit, licèt valetudine optimâ per tempus quamlibet longum fruatur, ab effectibus morsûs diris prorsùs immunem esse.

Quî fit, ut ex plurimis morsis tam pauci Hydrophobiâ afficiantur? 1*mo*, Canes multi (licetne dicamus plerique?) qui æstimantur revera rabidi, non ita se habent, tantùm furentes. 2*ndo*, Homo corpus ferè totum vestitus plerumque vulnus per vestem accipit, et ita salivæ pars major vel etiam omnis dentibus canis abstergitur, antequam carnem attingere possint. 3*tio*, Hominibus quibusdam conceditur corporis indoles, quæ actioni resistit cujusvis veneni; quod in Variolâ et aliis morbis contagio disseminatis obtinere ab omnibus visum est.

DE MALO PRÆCAVENDO.

QUAMVIS multi, qui canis rabidi morsum accipiunt, non afficiuntur rabie; tamen magnoperè periclitantur, et quisque prudens partem morsam statim extirpari permittet, ac etiam jubebit; extirpatio enim præsidium est omnium validissimum. Neque autem huic soli fidere debemus, sed vulnus sæpenumerò lavare. Monent nonnulli plagæ curationem protrahere; si jam sanescat, iterùm patefacere, et exulcerationem arte moliri.

Exurentia olim ad virus radicitùs tollendum adhibere solebant medici; sed hoc remedium

in omnibus ferè casibus Scalpello jure posthabetur.

Cum partem exsecare non detur, cautè lavare aquâ calidâ proderit, quâ fluxus sanguinis cieatur, eoque perfectiùs expellatur virus. Hæc curatio procul dubio ceteris, extirpatione exceptâ, longè anteponenda est.

Suctus est remedium minimè certum; qui porro Suctoris officio perfungitur, periculum certe quidèm satis magnum exugens ipse subit; quia exempla non desunt, quibus rabies, viro labiis apposito, accessit. Cucurbitula parti morsæ adhibita, nisi quod saliva motu labiorum justiùs vulneri applicata, et sæpius renovata virus meliùs abluat, ferè idem ac oris suctus efficit sine ullo operantis periculo.

Varia sunt composita, quæ, quasi specifica, decantata sunt; medicamentum nempe Orms-

kirkianum, Remedium Tonquin, Pulvis Antilyssus, &c. Hæc tamèn omnia ad morbum præcavendum post morsum inflictum omninò inefficacia inveniuntur.

Medicamenta alia ad Hydrophobiam præveniendam proposita fuerunt; ex quibus videntur mihi Tonica aptissima; debilitas enim morsui superveniens hydrophobiæ accessioni favet. Medici quidam diathesin etiam phlogisticam inducendam suadent.[1]

Ex ejus in Syphilide effectibus plerique hydrargyrum in hoc morbo præcavendo maximè laudandum putârunt; ideoque ferè nullum tam frequentèr fuit adhibitum. Ex iteratis autem experimentis patet minimè huic remedio esse fidendum; plures enim litum post liberrimum in morbum inciderunt. Multi

[1] Latta's Surgery.

sanè hydrargyro usi morbum evitârunt; sed plerique, fortasse omnes, etiam nullis usi remediis, morbum effugissent. Nec de ullis medicamentis ad hunc morbum præcavendum, quamvis gravissimè commendatis possimus ampliùs prædicare, quam morbum sæpè non supervenisse, illis priùs adhibitis; sed morsu afflictum nonnunquam rabidum devenisse et miserrimè mortuum fuisse, etsi remedia celeberrima summâ curâ adhibita fuerint.


Metum vel animi anxietatem sæpissimè aggressioni Hydrophobiæ post morsum favisse, suspicandum est. Medicus igitur, dum nulla omittat remedia, quæ ex suâ vel experientiâ alienâ reputet misero salutem posse afferre, utilitatem cujusvis medicamenti adhibiti ægro persuadere debet. "Hactenus verò nullius ea comperta fides, cui credi queat salus miserrimè periclitantis hominis, quum nullum sit notum cujus experimenta certa, sed vel

speculationi ortum debent, vel descriptis ex alio confisum est." [1]

---

[1] Boerhaave.

INDICIA.



Hæc in stadia duo divisa fuerunt, quæ tamen distinguere vix possumus: igitur signa enumeravi, quasi nulla fuerunt stadia propria.

Signa, quibus rabies dignoscitur, hæc sunt; Rubor, inflammatio et dolores partis morsæ, qui morbo ingravescente per corpus totum vagantur: Lassitudo; languor; et inquietudo: Somnia horrifica; mens tristis et severa: Solitudinis amor; vultus anxius et despondens, oculique suffusi et plerumque feroces. Sensus omnes præter naturam acuti fiunt; æger frigoris admodum est impatiens. Lux

ingrata; et sæpè aspectu splendentium perturbatio adoritur. Sonitus est molestus, et imaginatio prava.

Functiones quoque læduntur tam naturales quam vitales. Sitis gravis, quam autem comitatur dolor et difficultas devorandi, et mox horror aquæ; ex quo Medici morbum Hydrophobiam nominârunt. Os salivæ viscidæ plenum est, et infelix in adstantes frequentèr exspuit. Urina multa cum dolore redditur. Penis sanguine turget, et semen sine voluntate ejicitur, scroto contracto. Spiritus ægre trahitur cum sibilo strepente; et angoris nec rarò caloris sensus in pectore comitatur. Pulsus interdùm debilis, interdùm autem fortis; post aquæ horrorem ortum plerumque tremulus et abnormis; et sanguis e venis detractus crustam inflammationi propriam non exhibet et ægrè coit.

Notas hujusmodi excipiunt convulsiones, aquæ aspectu, vel etiam nomine, et causis aliis levissimis, scilicèt sonitu aurâ, &c. auctæ. Delirium et febris nonnunquàm sed rariùs accedunt; plerumque enim æger mentis integerrimus est ad spiritum usque extremum, et interrogantibus aptè respondet. Mordendi cupiditas rarissimò adest. Denique si quicquid infelix petit, petit miserandâ voce.

Morbi versus finem convulsiones augentur, et nonnunquam subsultus tendinum cum stupore adoriuntur. In hâc conditione admodum miserandâ, nîl ægro morte potiùs exoptandum; et modò per convulsiones modò per quietem anima efflatur.

CORPORIBUS ABSUMPTORUM INCISIS,

Notæ variæ prodeunt, adeo ut singula exempla ferè diversas exhibeant; sed hæc esse frequentiora opinor. Pharyngis, gulæ et ventriculi contractio spasmodica, et inflammatio, quæ plerumque sese ostendit maculis vel lineis rubentibus a ventriculo per æsophagum ad pharyngem tendentibus. Aspera arteria et fauces salivâ viscidâ implentur. Aliquando vasa cerebri sanguine turgescunt: et ferè singulæ partes corporis vitia propria præter naturam exhibent. Cadaver citiùs ad putredinem ruit, quàm ex consuetudine.

Explicare rationem horum signorum est valdè difficile ; sed omnia mihi videntur ex irritabilitate fibrarum motricium auctâ, viro canino inductâ ; et spasmo, hanc irritabilitatem consequente, pendere. Ex sensu aucto delirium (quod etiam congestio in vasis capitis excitare valet,) lucis impatientia, sonitus molestus, et spasmus ipse pendent. E spasmo nascuntur convulsiones, difficultas liquores ingurgitandi ; saliva viscida, os spumans, et etiam vox rauca, quæ a quibusdam latratio vocatur.

CURATIO.

Quamvis inflammatio iterum invaserit, vulnus rubuerit, et dolores per corpus vagari inceperint, spes tamen restat (eheu quam tenuis!) morbi parte excisâ præcavendi.

Balneum calidum a medicis laudatum fuit, et antequam supervenerit horror aquæ fortasse haud inutile erit; sed semel exorto hôcce horrore, nec calido nec frigido uti licet. Celsus quidèm submersionem testatur subitam adjuvisse; " et si natandi scientiam non habet modo bibere pati, modò attollere; si habet, interdùm deprimere, ut invitus quoque aquâ

satietur, sic enim simùl et sitis et aquæ metus tollitur."[1]

Balneum quoque ex oleo calido laudat Celsus; et sanè remedium est, cui hodiè a multis magna habetur fides. Celsus sermonem jam memoratam sic continuat. "Sed periculum aliud excipit, ne infirmum corpus in aquâ frigidâ vexatum nervorum distentio absumat. Id ne incidat, a piscinâ protinùs in oleum calidum demittendus est."

Oleum calidum in ventriculum ingestum etiam commendatum fuit; sed in periculis plurimis accuratè institutis non secùs ac alia medicamenta spem medicorum de hoc morbo sanando fefellit. Nec possumus testimonium de usu Potassæ vel etiam Ammoniæ mitiùs prædicare.

---

[1] Celsus de re Medicâ.

Remedium, cui nunc medici valdè confidunt, est Hydrargyrus, quo corpus quàm primùm imbui oportet: ad hunc finem subsulphas hydrargyri flavum bene respondet; cujus tamen actio incerta existimatur; et frequentiùs nauseam vel etiam vomitum ciere; et actione tam citâ nimium salivæ inducere fluxum; ad unguentum hydrargyri igitùr confugiendum est: non autem sperare licet, ni eò adhibeatur ut probè glandes salivæ incitaret.

Opium, præsertim si membra graviter convellantur, aliis medicamentis præstare videtur. Copiâ ejus amplissimâ opus est, qualis timore ac dubitatione quosdam afficiat; nisi enim unum duo vel etiam tria grana opii puri secundâ vel tertiâ quâque horâ ingerantur, nihil hoc remedium proderit. Plus equidem aut minus ingerendum erit, proùt postulet corporis aut malorum ratio.

Remedia alia enumerarem ; sed, quod jam dictum est, satis amplè monstraverit scientiam medicorum in rabie tractandâ parùm valere. Unusquisque enim fere medicus remedio cuidam a se laudato, ab aliis vero quasi inerti vel etiam noxio neglecto vel vituperato confidit, ac si fides ista non argumentis solis, sed etiam experientiâ nitatur, certè cum aliquâ rationis specie errat. Nunc autem temporis etiam a plurimis non indigne (ut videtur) laudatur Sanguinis Missio liberrima. E scriptis auctorum veterum remedium patet minime novum. Sydenhamus enim Boerhavius et Hoffmanus ejus usum commendârunt. Discipuli Boerhavii, inter quos præcipue Rutherfordius, sanguinem in rabie miserunt; sed fortassè ab sanguinis detractione haud satis liberâ morbus non sæpiùs hâc quàm aliis remediis fuit levatus. Rutherfordius igitur ab experimentis, quæ fecerat, prælectionibus hanc suam sententiam, Hy-

drophobiam non posse, misso sanguine, sanari, auditores docuit. Alii quoque quantitatem sanguinis parvam elicere solent, ut corpus paretur ad medicaminum aliorum actionem sustinendam. Ratio hujus auxilii spem fallentis in omnibus periculis in quibus fuit adhibitum, (ut opinor) hæc est; quod medici nunquam fidem missioni sanguinis plenam habuerint, ideoque non nisi sanguinem parcè detraxerint, dum alia manu liberâ administrârint medicamenta.

Ob has causas medici venam feriendam esse prorsùs negârunt; nec possum mirari, hoc genus auxilii, cum a nemine probè sit adhibitum, demùm obsolevisse. Ex notis corpore secto patefactis medici ad sanguinis missionem nùper redierunt; et duo recèns hydrophobiæ exempla, in quibus ampla copia sanguinis detracta morbum equidem sanâsse videtur, sub

oculis posita fuerunt.[1] In exemplo primo a Dom. Tymon narrato indicia rabiei omnia ægrum miserrimè turbârunt. Sanguinis e venâ incisâ haud impedivit fluxum, donec pulsum vix poterat in brachio utroque percipere. Deinde opium et hydrargyrum vi magnâ administravit. In exemplo secundo a Dr Shoolbred deprompto fere nîl nisi missio sanguinis ad sanationem inceptum fuit.

Hæc exempla fuisse hydrophobiæ medici præclari testantur; rabiei etiam indicia aderant; cicatrix desuper quasi vulneris in utriusque ægri corpore videri poterat, et ambo a canibus rabidis morsi fuerunt. Si quis documenta satis ampla hos rabie laborâsse indicantia cupiat, perlegat narrationem *Shoolbredii.*

Et morbos curatos per missionem sanguinis

---

[1] Med. et Phys. Journ.

fuisse, facilè monstratur. Spasmi enim et convulsiones statim cessârunt, horror aquæ decessit, et æger facilè devorare potuit. Animus, antèa errans, non diutius alienus ; sed æger discretè locutus est. Sensus antèa præter naturam acuti nunc unà cum aliis functionibus ad integritatem redierunt ; et æger in somnum concidit, ex quo experrectus, sanus et multùm recreatus sed nimirùm debilis fuit.

Quantum sit sanguinis detrahendum, non ex duobus exemplis statuere possumus ; me autem judice, fluxum non priùs obsistere oportet, quàm anima ipsa defecerit, nisi antèa mala leniverit : atque si redeant spasmi vel convulsiones, vena iterum scalpello icenda et sanguis detrahendus usque ad animi deliquium. Per orificium satis amplum ex iis, quæ de hâc re jam intelligimus, ægro commodiùs quàm per parvum defluit sanguis.

Missio sanguinis fortàsse vi antispasmodicâ adjuvat; igitur post venæsectionem haud alienum erit opium administrare sub formâ enematis.

Aliquamdiu post hydrophobiam adortam detrahere sanguinem non solùm foret inutile; sed etiam quasi hominem jugulare; si enim debilitas extrema hominem invaserit, hæc curatio citiùs quàm morbus ipse hominem necaret. Ast contrà vires ægri debemus sustinere, ad quod absolvendum stimulantia vel antispasmodica, inter quæ præcipuè vinum et opium, sunt adhibenda.

Hanc tandem meam disputationem usque ad finem perduxi; nihil ab experientiâ, quod dixissem, habui; quod adnotare potui in libris, quos perlegi, quantum mihi licuit, accu-

rate enarravi, adjunctâ etiam de quibusdam propriâ (indignâ quidem nec magis quàm diffidente) opinione. Valete, et nostris conatibus favete.

THE END.

